



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

**Kinckius, Matthias**

**Coloniæ, 1662**

De ordine genuflectendi, sedendi & standi in Missa privata & solenni,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

DE ORDINE GENUFLECTENDI,  
*sedendi & standi in Missa privata &  
 solenni.*

## XVII.

I. In Missa privata Sacerdos genu-  
 flectit, quando legit Evangelium S. Jo-  
 annis, *In principio*, ad illa verba, *Et ver-  
 bum caro factum est*, & in Evangelio Epi-  
 phaniæ, *Cum natus esset Iesus*, ad verba il-  
 la, *Et procidentes adoraverunt eum*. Item in  
 Evangelio feriæ quartæ, post Domini-  
 cam quartam Quadragesimæ, ad illa  
 verba in fine, *Et procidens adoravit eum*.  
 Item genuflectit Dominica Palmarum,  
 & in Missis de Cruce ad illa verba in E-  
 pistola, *In nomine JESU omne genu flecta-  
 tur*, &c. Et quando legitur Passio, ad illa  
 verba, *expiravit*, vel, *emisit spiritum*, ut suis  
 locis notatur. Item genuflectit cum di-  
 cit, *Flectamus genua*. Item quando in Qua-  
 dragesima dicit in tractu Vers. *Adjuva  
 nos DEUS*, &c. Et in omnibus Missis de  
 Spiritu Sancto, cum dicit Versum, *Veni  
 Sancte Spiritus, reple*, &c. Item quando Sa-  
 cramentum in Altari discoopertum ap-

C 3

paret,

paret, genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris: & quando cunque in Ordine Missæ, & in ritu servando in celebratione Missæ notatur, quod debeat genuflectere.

2. Circumstantes autem in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Evangelium.

3. In Missa solenni Celebrans genu flectit ad omnia supradicta, præterquam ad Flectamus genua: & tunc ipse solus stat, Diaconus verò & Subdiaconus & omnes alii genu flectunt Ad versum verò Adjuva nos DEUS, & c. & ad Versum, Veni sancte Spiritus, & c. genuflectit usque ad finem: item genuflectit in die Annunciationis B. MARIE, & in tribus Missis Nativitatis Domini, quando cantatur in Choro, Et incarnatus est, & c. Aliis diebus si sedeat cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum profundè inclinatur, si non sedet, genuflectit.

4. Ministri semper genuflectunt cum celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, & Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba ad quæ est genuflectendum, ipse versus librum, Celebrans

bran  
ctun  
5  
sunt  
In M  
drag  
rum  
rum  
& a  
Pax  
mu  
Vigi  
Don  
qua  
e  
inte  
test  
tur  
Cr  
flect  
&  
Pr  
lel  
fer  
&  
ne  
mi  
pr

brans & omnes alii versus Altare genuflectunt.

5. In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt Prælati, ad Confessionem cum suo Psalmo: In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesime, Quatuor temporum, & Vigiliarum qua jejuntantur, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem, Sanctus, usque ad Pax Domini, & ad Orationes post Communionem, & super populum, exceptis Vigiliis Pascha & Pentecostes, ac Nativitatis Domini Et similiter ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum.

6. In Missa item solenni celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum sedere potest à cornu Epistolæ juxta Altare cum cantatur Kyrie eleison, Gloria in excelsis, & Credo, alio tempore stat ad Altare, vel genuflectit ut supra.

7. In Choro sedent quando celebrans sedet, & præterea dum cantantur Epistola, & Prophetiæ, Graduale, Tractus, vel Alleluja cum Versu, ac Sequentia, & ab Offertorio usque ad incensationem Chori, & si non incensatur usque ad Præfationem, & ad Antiphonam qua dicitur Communio. Ad alia stant, vel genuflectunt, ut supra,